



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 33. Anastasii Fatum. Justinus Imperator.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

## §. XXXIII.

Sæculum VI.  
A. C. 518.*Anastasio Fatum. Justinus Imp.*

Non prius Pax alma Ecclesiæ rediit,  
quam sublato Anastasio Imperatore,  
qui eodem anno 518. Magno Consule,  
Indictione undecima e vivis ereptus est.

Cum 10. Julii noctu inter micantia fulgu-  
ra circum Regiam ejus tonitrua mugi-  
rent, trepidare, & de loco in locum  
fugere visus est, tandemque subito exa-  
nimatus in parvulo cubiculo a suis inven-

tus. Fulmine ictum crediderunt. An-  
nos vitæ numerabat octoginta octo, &  
viginti septem regnaverat. Mortem ejus  
Elias Patriarcha Jerosolymitanus cœlesti  
Revelatione intellexit. Nam cum S. Sa-  
bas, tunc annum agens octogesimum, ad

eum Ailam, locum Exilii ipsius, nona Ju-  
lii invisisset, Elias pro more suo ad sumen-  
dum cibum hora nona & recitandas Ve-  
speras non processit, sed ad S. Sabam &  
Socios ejus dixit: *vos manducate, mihi  
vero non vacat.* Tum S. Sabæ cogere  
ipsum volenti, ut cibum caperet, obortis  
lacrymis ait: *hac hora Imperator Anasta-  
sius mortuus est, intra decem dies & mihi  
migrandum, atque cum ipso in Judicio  
standum.* Rebus deinde, quæ ad Mona-  
steriorum suorum Regimen pertinebant,  
compositis, per dies octo sola Sacra Com-  
munionem & vino diluto victitavit. Tan-  
dem

Mar. Chr.  
Vitt. Tun.  
Chr. Pasch.  
p. 330.  
Theod. Lett.  
p. 565.

v. S. Sabæ  
n. 60.

**Sæculum VI.** dem levis morbus supervenit, & vigesi-  
**A.C. 518.** ma Julii, postquam accepisset Communio-  
*Mart. Rom.* nem, consuetas preces dixisset, & respon-  
 4. *Jul.* didisset: *Amen*, annos natus octoginta octo  
*Prat. Spir.* reddidit Spiritum. S. Sabas annotata die,  
 6. 35. *Chr.* cum Jerosolymam rediisset, Imperatorem  
*Pasch. pag.* mortem oppetiisse comperit. Ecclesia  
 331. Eliæ memoriam quarta Julii, atque Fla-  
 viani Patriarchæ Antiocheni eadem de  
 causa Exulis & eodem tempore defuncti  
 celebrat.

Eadem die, qua Anastasius vivere de-  
*Proc. Anec.* fuit, nona Julii anno 518. Imperatorem sa-  
 6. 6. lutarunt Justinum Bederiani in finibus Il-  
 lyrici & Thraciæ ex ultima plebe natum.  
*Theoph. p.* Initio miles gregarius per omnes ordi-  
 141. nes ascendens Excubitorum Comes id  
*Theod. Lect.* est Prætorianorum Palatii Dux evasit.  
 p. 565. Amantius Spado Cubiculariorum Præfe-  
 ctus, qui sub Anastasio omnia poterat,  
 magnam pecuniæ vim Justino dederat  
*Evagr. IV.* Optimatibus populoque distribuendam,  
 hist. c. 2. ut his largitionibus Theocrito amicorum  
 suorum intimo vota pararet. At Justi-  
 nus his pecuniis sibi ipsi viam ad thro-  
 num sternendam putavit, & votis poti-  
 tus Amantium, & Theocritum perdidit.  
 Ad Romani Imperii culmen ascendit annos  
 natus sexaginta octo; litterarum omni-  
 no rudis, sed vir integerrime Catholicus.  
 Uxor ejus Lupicina vocabatur, sed post-  
 quam

quam Imperatoris Conjux fuit, eam populus Euphemiam appellavit.

Sæculum VI.  
A.C. 518.

§. XXXIV.

*Acclamat Populus Constantinopolitanus.*

Die Dominica Electionem Justini Imperatoris sequente, decima quinta Julii 518. Indictione undecima, cum Patriarcha Joannes pro more cum Clericis suis magnam Ecclesiam Constantinopolitanam intrasset, & prope Cathedram staret, exclamare populus: *Longam vitam Patriarchæ! Longam vitam Imperatori! longam vitam Imperatrici! quousque excommunicati erimus? cur tot annis non communicamus? de manu tua Communionem accipere cupimus. Eja conscende Cathedram? perora ad populum tuum! persuadebis. Jam ab annis aliquot Communionem accipere optamus, Catholicus es, quid times? Apage Severum Manichæum! ossa Manichæorum effodiantur! sine mora Sanctum Concilium promulga! S. Maria est Mater Dei, qui tacet Manichæus est. Fides Trinitatis triumphat! Imperator Catholicus est. Quid trepidas? longam vitam novo Constantino! longam vitam novæ Helenæ. Justine Auguste Tu vincas!* Hæc ultima verba latine pronuntiabant,

to. 5. Conc. p. 178.

Conc. sub. Men. Act. V.